

III.  
NEOVIDENSIS

Nro 28. ( *Neovidensis* 1805. Nro 24.)

---

*Ex campis Elysiis*

*Sermo Politicus*

*de superbia ex obtentis muneribus profuente.*

---

*Elysium -- Meum.-- Die Veneris 5. April. 1805. (Neov. 22. Mart.)*

S e n t e n t i a :

Honores mutant mores.

**N**on capio, quo infelici fuerit percitus oestro Gracianus Hispanus, dum collationem munerum publicorum arbori assimilavit. Notum est, illum de rebus politicis scripsisse. Pinxit arborem, in qua loco fructuum omnia honorum insignia, & majores dignitates pullulabant. Multi insignes viri sub eadem consistentes avide captabant crescentes honores, vel exagitabant arborem, ut decidua quapiam dignitate cooperirentur, nonnullis visum est arborem scandere, ut aliquod munus, vel ejus signum attingerent; invenerunt, a quibus in proposito adjuvarentur, & hi dicti sunt Patroni, Protectores, ac commendatores ad officia adeo, ut secun-

dam ejus opinionem omnia honorum insignia, atque munera non bene meritis, sed commendatis conferantur, & quidem ex motivis, quæ cum dignitatibus nullum habent nexum.

In Germania hæc Allegoria illo adagio exprimitur: Cui Deus dat officium, illi dat etiam prudentiam. Quare cum omnia proverbia longo usu sint probata, videtur apud nos sæpius evenisse, ut munera publica non fuerint secundum merita, sed ex favore, aliisque hujusmodi causis distributa, &, uti ego quidem existimo, hoc non tantum in Hispania, & Germania, sed in aliis quoque Regnis usuvenit.

Cum hoc in honorato orbe ita introductum sit, nulla nos ejus rei sive admiratio, sive tædium teneat; actum agimus. Hoc tamen prorsus singulare est, ut illi, qui ad aliquod munus, & honorum subsellia eiuctantur, illico alios induant mores. Fieri quidem potest, ut Deus optimus maximus ita benignus sit, ut quem ad officium promovet, eidem etiam intelligentiam impertiatur, at tamen, ut illum arrogantia inflet, & spiritus nescio quos ingeneret, nequeo in animum inducere, ut credam. Hoc certe nostri veteres Latini longa experientia didicerint, inde enim enatum est decantatum proverbium: *Honores mutant mores.*

Miramur Respublicas, quæ suæ potentiæ, & amplitudini confisæ intensiore, ponderosiore, & sæpe atrociore in rebus politicis utuntur voce. Et nonne ab hominibus reguntur

regna? Nonne quilibet gubernationi suos infert manes, præsertim si perpendamus, unumquemque, qui regni habenas moderatur, esse e numero excellentium?

Profecto abominanda turpitudine est, quod tamen sæpe evenit, videre personas, quas, si ad ampliores dignitates casu fortuito eveniant, pudet suorum veterum amicorum, familiarium, imo, proh dolor! suorum plane parentum. Quid, si omnes illos modos, quibus nonnulli usi sunt ad consequenda munia, in medium adduceremus? Quid si designaremus illas obliquas, & transversas vias, per quas ad dignitates reptabant? Quid si notæ forent artes, quas adhibuerunt, ut de arbore Graciani aliquod munus, vel signum honoris decerperent? — Experientia miserorum hominum: — Honores mutant mores.

Populatio nostræ patriæ Germaniæ inde a Rheno usque ad ostia maris baltici secundum novissimam conscriptionem efficit circiter 24 milliones hominum. Inter quos, affirmantibus multis, quilibet quintus vel est Consiliarius, Assessor, Advocatus, Præfectus, Professor, Eques, Minister, Mareschallus Aulæ, Judex, Rei culinariæ magister, Camerarius, Senator, Supremus stabuli magister, Aulicus rei venatoriæ magister, & sexcenti alii magistri; mulier nobilis e ministerio Aulico, Suprema Aulæ magistra, vel strator mensæ. Unde apparet summam honoratæ Reipublicæ in Germania constare ex 480 milibus hominum, seu ex medio fere millione.

Juxta Süsmilchii, & aliorum Logarithmos consumit unus homo omnia computando inde a Mareschallo Aulæ usque ad ultimum rusticum quotannis 50 Imperiales. Patria autem nostra rationes ducendo moderatissimas pro conservatione boni ordinis, honore Aulæ, & germanica justitia una cum ejus sorore Politica expendit 24 milliones Imperialium. Hunc tamen calculum non est ingressus status militaris.

Vastatio Provinciarum in germanico bello per septennium ab anno 1758 usque 62 durante post congressum Hubertsburgensem æstimata est centum millionibus Imperialium. Itaque Dea pacis, ordinis, & honoris parit singulis annis quatuor millionibus plures impensas, quam furia belli, & depopulationis.

Tales rationes de muneribus publicis duxit ante 24 annos quidam scriptor, & tunc quidem proverbium: *Honores mutant mores*, honorificam habuit significationem; at modo in tanta rerum omnium caritate sponte sua cadunt cristæ, modo in officiis constitutis tam exigua dantur salaria, ut ex iis vix jentaculum possit procurari; nunc non obliviscimur amicorum, & cognatorum, neque despiciamus notos, gaudemus, posse nos eorum societate frui. Illud alias ita ambitiosum studium detumescit, fitque populare, neque metimur amemus mores ministrorum ex elato animo. Penuria rerum premit singulos, vi enim officii iis non est integrum tractare artes, quibus rem familiarem auferent, ex suo

autem stipendio subinde nec oleribus possunt vesci.

Quando tandem revertentur aurea tempora, quibus vilitas pretii honorem restituat muneribus, ut quilibet officialis gloriæ sibi possit ducere oblatam provinciam? Est quidem aliqua, sed obscura adhuc spes pacis.

1) De nullo ita aperto belli apparatu, uti alias, instituitur sermo. 2) Duci novi castris, ejusque congugi, & tribuno Craufurd data est ab imperio Gallico potestas peregrinandi per Galliam. 3) Eques Rumbold, Anglicus in circulo inferioris Saxoniae legatus, quem gallicae legiones ante paucos menses ad Hamburgum captum Parisios deduxerant, appulit ad insulam sacram; dicitur iterum Hamburgi suam priorem stationem occupaturus, postquam prius Berolini Regi Borussiae pro praestita interpositione gratias egerit. 4) Neutralitas Neapolitana in tuto est, uti hoc ex sequenti Novo um articulo patet: — Nostrae ultimae dissensiones cum Regno Neapolitano (sunt verba Ephemeridum Parisinarum) videntur esse compositae. Excitaverat illas manifesta benevolentia in Neapolitano, & Siciliae Regno Anglis exhibita. Qua de causa Legatus gallicus Alquier Aulæ Neapolitanæ porrexit prolixum scriptum, in quo praecipue commemoratur, secundum arcanas stipulationes debuisse equitem Acton excedere ex ministerio, & ad Senatnm Regium tales viri promoveri, qui machinationibus Anglorum contrarii essent, & nonnisi sub hac con-

ditione promissam Regi Neapolitano neutralitatem observatum iri, quæ omnia se Rex servaturum receperat; interea autem multa esse facta (*quorum mentio fit in eodem scripto*) quæ docent, Regem promissis non stetisse; cum primis operationes Classis Anglicæ in mari mediterraneo fuisse adjutas; illa enim omnia vitæ media ex Sicilia accepit, & promptuaria Anglorum in insula Melita annona sunt repleta; præterea in detrimentum gallici in Apulia axcubantis axercitus præbitus est consensus, eidemque necessaria subtracta alimenta; sæpius invocata fuit Russica defensio contra Gelliam; Auctoritas Aetionis, ejusque asseclarum valebat semper in ministerio, tametsi inde ad speciem amoti fuerint, &c. Ob hæc gravamina, cum nullum datum sit directum responsum, Legatus gallicus Alquier parabat abitum; verum hæc minæ, conjunctæ cum nonnullis motibus legionum Beliducis St. Cyr permoverunt Aulam, ut ad novas descenderet declarationes, significaretque Gubernio Gallico, se imposterum contentam neutralitatem sancte observaturam, paratamque esse ad dandam de præteritis satisfactionem, quæcunque Imperatori placuerit. Ab hoc tempore militia gallica quiescens manet, atque inter utramque gentem pristina sensim instauratur amicitia.

Ast horrore percellitur, quisquis animum tantisper advertit ad ingentem vim pecuniæ, quam Gentes tempore pacis pendere debent ad persolvenda sua debita. Recen-

tius opus Statisticum in hunc modum describit Reditus, Debita, atque potentiam præcipuorum Europæ Statuum:

	Incolæ.	Reditus.	Debita.	Militia.
Austria	27,000,000	100Mill. fl.	mille Mill.	400,000
Bavaria	2,240,000	21Mill. fl.	— —	25,000
Borussia	9,250,000	100Mill. Lib.	— —	250,000
Saxonia	2,200,000	40Mill. L.	100 Mill Lib.	32,000
Helvetia	1,700,000	5Mill.	45 Mill.	15,000
Svecia	3,200,000	30Mill.	150 Mill.	50,000
Dania	2,700,000	40Mill.	100 Mill.	75,000
Hetruria	1,200,000	40Mill.	40 Mill.	— —
Gallia	36,000,000	800Mill.	5 mille Mill.	600,000
Anglia	15,000,000	40Mill.L. St.	600M. L.St.	120,000

Svecia habet 18naves de linea, 10 celoces, 160 triremes.

Dania	—	19	—	—	19	—	—	—	—
Gallia	—	40	—	—	50	—	—	—	—
Anglia	—	210	—	—	440	—	—	—	—

Nunc licet adagium: *Honores mutant mores* in hunc sensum transferre: Quo major, & potentior aliqua natio, eo majora ejus debita.

*Ex altiori Dispositione Excelsi Consiliæ  
Locumtenentialis Regiæ*

*PUBLICANDUM.*

Schædam Pignoratitiam majoris valoris repertam & Excelso Consilio Locumtenentiali Regio præsentatam existisse eo addito præsentibus notum fit, terminum trium mensium a dato 12. Martii a. c. computandum præfixum haberi, intra quem proprietarius semet super hac Schæda, velut de sua, sufficientibus probis legitimare, remonstataque proprietate, eandem Schædam recipere valeat.

---

*P u b l i c a t i o.*

Occasione nundinarum pecuariarum Tyrnaviæ die 19. April. a. c. celebrandarum optime culti & conservati 3 annorum arietes admissarii, non tondi, vendentur. In delectu horum arietum non solum subtilitatis lanæ habebatur ratio, sed etiam illud sumebatur in considerationem, ut arietes deligantur, qui fini suo quam optime responderent.

Qui igitur hujusmodi arietes sibi comparandi animos habent, præfixa die Tyrnaviam compareant, oportet.

---